

Sanchez Palaus

non requiritur, ut observant Sanchez in opere mirabili lib. 5. cap. 4. n. 76. & 78. Castro Palaus citatus statim Quantum est ex jure nisi peculiaribus constitutionibus impediatur, Abbatissa non est capax jurisdictionis spiritualis, & tamen potest recipere ad habitum, ac professionem; videtur supponi cap. consultit, qui cleric. vel voto. Et in tali professione datur vera substantia status religiosi.

140.

Ad id, quod dicitur de approbatione, constanter asseritur, quod ad Religionem requiritur approbatio a superiori, quia tota substantia Religionis consistit in traditione, ac acceptatione ex parte Dei, atqui nemo nomine alterius potest aliquid acceptare, nisi per commissionem, & potestatem sibi factam ad talem rem. Hæc potestas ex parte Dei a nemine potest dari, nisi ab Ecclesia, quæ eam immediate accepit a Christo; ergo in lege antiqua cum non daretur talis potestas, non poterat dari vera acceptatio ex parte Dei, nec approbatio veræ Religionis.

141.

Innoc. III. Greg. X.

Respondet, & non loquimur prout in præfati res se habet post Concilium Lateranense sub Innocentio III. & Lugdunens. sub Gregorio X. Quæ Concilia requirunt approbationem Religionum: sed loquimur tempore antecedenti, quoad Religionem antiquas: & duplex potest esse approbatio. Una negativa, & altera positiva. Negativa est, quod verbi gratia Papa, vel Episcopus, ad quem pertinebat Religionem approbare, videbat novam Religionem exurgentem, nec contradicebat, nec repugnabat, sed consentiebat, & permittebat. Et hanc approbationem esse sufficientem, & fuisse in multis Religionibus antiquis tenet M. Basilius de Leone lib. de Matrim. cap. 11. & citat D. Thomam 2. 2. q. 188. art. 1. ad 4. quem locum invenire non potui forte ex errore typographi; & citat Bellarm. tom. 2. lib. 2. de Monach. cap. 4. Medina lib. 4. de continentia contr. 7. c. 8. §. sed eam. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 2. §. num. 10. Azor. tom. 1. lib. 11. cap. 23. quest. 1. Quibus addendi sunt Trichemius de laudibus Carmelit. cap. 5. Mag. Carthagena tom. 3. lib. 17. homil. 2. Castro Palaus tom. 3. tract. 16. disp. 1. punct. 1. num. 8. Et ait: In Ecclesia multa fuerunt Religiones absque expressa Pontificis approbatione, sola Episcoporum approbatione, vel illorum non repugnantia. Quia acceptationem, quæ fiebat in votis, dum Ecclesia non contradicebat, sed potius illi consentiebat, videbatur nomine Dei acceptare: quod idem dicimus de Religione instituta ab Elia per respectum ad antiquum Pontificem.

Basil. D. Thom.

Bellarm. Medina. Sanchez. Azor.

Trichem.

Carthag. Palaus.

142.

Approbatio positiva fit per actum, vel verba positiva, pro quo supponendum est, quod in Pontifice antiquo dabatur potestas spiritualis ad discernendas res pertinentes ad fidem, Religionem, ac mores, Deuteron. 17. num. 8. Si difficile, & ambiguum apud te iudicium perspexeris, ascende ad locum, veniesque ad sacerdotes, Malach. 2. num. 7. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius; & multis aliis locis. Et Christus D. Matth. 23. num. 1. Ita Bellarm. de Romano Pontifice lib. 4. cap. 3. & lib. 3. de verbo Dei c. 4. & lib. 3. de Ecclesia c. 17. Suar. de fide disp. 5. sect. 5. n. 2. disp. 9. sect. 2. & multis in locis

Deuter. 17. Malach. 2.

Matth. Bellarm.

Suar.

contra Regem Angliæ. Valentia 2. 2. disp. 1. quest. 1. punct. 7. §. 43. Bañez 2. 2. tom. 1. quest. 1. Valentia art. 10. dub. 2. conclus. 4. Lyranus, Abulens. Bañez. Lorinus, Cornelius ad locum Deuteron. Et Lyranus, Abulens. Lorinus, Cornelius in hac Conclusionem conveniunt omnes Catholicos ad tuendam auctoritatem Romani Pontificis contra Hæreticos, & Lutheranos quia Deus, ut optimus Gubernator, ac Provisor, semper in Ecclesia sua dedit regulam, & viam, propter humanos casus sæpe occurrentes. Hæc regula in illo populo inveterato fuit Summus sacerdos; non verò modò in Ecclesia Christi est Romanus Pontifex, ut ex multis probant Bellarminus Suarez & alii Bellarm. citati; & satis Late M. Lezana in Consult. n. Lezana. tom. 2. n. 14.

Fuit ergo Religio instituta ab Elia, approbata ab ipso Summo capite, vel permissivè, & non repugnante, ut dixi, vel positive per verba & actum positivum approbationis. Et Deus mandavit magno servo suo Elia ut ungeret Elisæum in Prophetam & sui successorem sic enim dixit ei Deus, Elisæum filium Saphat, unges Prophetam pro te 3. Reg. 19. n. 19. ubi post Joannem, Hierosolimitanum, ac alios recte ait Sallianus anno 127. num. 23. Sallianus. Eliam Divino Decreto & jussu elegisse Elisæum in Prophetam, & successorem, Patrem, & Propositum disciplina Religiosæ cui secundum Deum obedirent. & M. Suar. tom. 4. de Relig. tract. 6. lib. 2. cap. 10. ait, Ex quo Elisæus jussu Dei vocatus est ab Elia, & illum sequi cepit, ei perpetuo ministravit, 3. Reg. 19. usque ad 4. Reg. 2. In hujus rei signum filii Prophetarum venerunt in occursum ejus, eumque adoraverunt, & tanquam caput, & principalem Prophetam, Eliaque successorem agnoverunt. Sic & fere omnes nostri Doctores, ex eo quod dicitur Ecclesiast. 48. num. 8. de Elia: Qui facis successores post te: Tam in spiritu prophetico, quam in disciplina Religiosæ, quod inter cæteros Prophetas soli Elia datum est, ut supra dixi Resolut. 1. quest. 2. n. 39. & 40.

143.

3. Reg. 19.

Suar.

3. Reg. 19.

Ecclesiast. 48.

QUESTIO XVII.

Solvuntur tria alia argumenta.

SUMMARIUM.

- 144. Primum argumentum ad vota facienda in lege antiqua requirens revelationem.
- 145. Osenditur divinam gratiam magnos effectus operari.
- 146. Beata Virgo habuit revelationem, non ob difficultatem virginis, sed ad severitatem; quod per desponsationem sua purissima virginitas in nullum periculum veniret.
- 147. Ponitur secundum argumentum.
- 148. Henoch, de quo fit mentio in Bullis Apostolicis, diversus est ab illo, qui erat ante Diluvium.
- 149. In Samuele jam cepit quoddam delineamentum status Religiosi.
- 150. Tertium argumentum, in ejus solutione osenditur ex Waldensi inter filios Prophetarum varios fuisse gradus perfectionis ac disciplina Regularis, & n. 151.

Omnem

144.

Omnem lapidem admovent Adversarii contra nos. Et primò sic opponunt. In illa lege antiqua facere votum perpetuum, ac per totam vitam ob illius imperfectonem, erat quid valde difficile, inde ad hoc requirebatur specialis revelatio, & cum de hac non constet, nec potest constare assertum de tali voto. Major est certa, minor probatur, quia à multis magnis Auctoribus asseritur, quod sanctissima Virgo Maria habuerit revelationem ad edendum suum virginis votum; ergo si hæc revelatio admittitur in B. Virgine, à fortiori in aliis.

145.

Respondet quod quamvis hujusmodi vota essent difficillima pro tali tempore, ad ipsam difficultatem superandam, satis erat divina gratia, ut ad multa majora, ad subeundum martyrium, ut in multis patet; ad resistendumque contra crudelissimos tyrannos Achab, ac Jezabelem persecuentes, ac interficientes Dei fideles, qui Baal non adorabant, ut necesse fuerit eos confugere ad montes, ac speluncas, ut Elia dixerit Abdias. Nunquid non indicatum est tibi, quid fecerim, cum interfecisset Jezabel Prophetam Domini, quod absconderim de Propetis Domini centum viros quinquagenos, & quinquagenos in speluncis, & paverim eos. 3. Reg. 18. num. 13. Et hoc in tanto numero ut dicat Deus Elia, Dereliqui mihi in Israel septem millia virorum, quorum gens non sunt curvata ante Baal 3. Reg. 19. num. 18.

3. Reg. 18.

3. Reg. 19.

146.

Durand. Abulens.

Suar.

Vasquez. Novatus.

147.

Circa id, quod tangitur in Confirmatione de voto virginis sanctissimæ Virginis, quo tempore illud emiserit, variæ sunt sententiæ. Quidam, ut Durandus, Abulens, post contractum matrimonium cum Joseph, licet semper habuisset propositum virginis, Alii dicunt, quod emiserit votum ante contractum matrimonium, tamen quod fuisset votum conditionale, nisi aliud Deus statuerit. Tamen vera, communis, ac certissima sententia, quod ante desponsationem, ac in prima infantia fecerit votum absolutum, & perfectissimum, ita Scotus Henriquez, & multi alii juxta mentem sanctorum Patrum, & tunc Auctores hujus sententiæ optimo jure dicunt, quod ipsa sanctissima Virgo habuisset revelationem ad tale votum edendum, non propter difficultatem ipsius voti, ac virginis, sed quod cum esset sub tutela suorum parentum; habuit revelationem à Deo, quod per desponsationem futuram, ejus virginitas in nullum discrimen, ac periculum veniret: non enim est credendum, quod ipsa sanctissima Virgo consenserit, ut fieret sponsa hominis, nisi divinitus agnovisset, nullum adfuturum periculum suæ virginis violandæ in tali matrimonio contrahendo. Ita Suar. to 2. ad 3. part. disp. 6. sect. 2. §. Dico ergo secundo. Vasquez tom. 2. ad 3. part. disp. 124. cap. 4. num. 77. Baptista Novatus de eminentia Virg. tom. 1. cap. 6. quest. 5. Revelatio ergo facta est, non ob difficultatem in voto virginis, sed ob securitatem extra omne periculum in servanda virginitate in desponsatione de qua fecerat votum.

Secundum argumentum. Si dicimus monachatum incepisse in Elia, eodem modo dici potest, quod incepit in Henoch, de

quo dicitur Genes. 4. num. 26. Iste cepit invocare nomen Domini. Quod à multis intelligitur, quod iste primus cepit congregare hominum cœtum ad laudem Dei dicendam ac decantandam. Et de isto Henoch videtur facere mentionem Julius 11. in sua Bulla, Julius II. cum ait, Sanctorum Patrum Elia, & Elisai, & Henoch, qui montem sanctum Carmeli juxta fontem Elia inhabitaverunt, hereditariam successorem venientes. Et idem etiam dici potest de Samuele; de quo scribitur 1. Reg. 19. n. 20. quod congregavit multitudinem Prophetarum.

148.

Respondetur, argumentum nullius esse ponderis; nam Henoch de quo fit mentio in Bullis Apostolicis, alter distinctus est ab eo, qui fuit ante diluvium, & hoc patet ex ipso contextu, quia, si de illo antiquiori esset sermo dicendum erat: Sanctorum Patrum Henoch, Elia, & Elisai ratione antiquitatis prior erat ponendus ante Eliam, & Elisæum; atqui postponitur, ergo alter multo tempore post illos fuit: ergo iste alter distinctus. Incola Carmeli, qui ad prædicationem Joannis Baptistæ una cum Andræa Apostolo, ac Joanne Evangelista secutus est D. JESUM CHRISTUM, & postea comes extitit D. Marci ad Alexandriam, ejusque prædicationis adjutor; & quod fuisset Incola Carmeli patet ex bullis Pontificiis, ubi Henoch refertur inter cæteros Patres, qui montem sanctum Carmeli juxta fontem Elia inhabitaverunt. Ita Paleonidorus lib. 2. cap. 1. Didacus Coria in historia Carmelitana lib. 7. cap. 1. Lezana in Annalibus tom. 2. anno Christi 362. n. 24. & anno 45. n. 9. vinea Carmeli. num. 144.

Paleonidor. Coria.

Lezana.

Vinea Carmeli.

149.

Ad id, quod apponitur de Samuele dicimus, quod ibi jam cepit, veluti quoddam primum delineamentum status religiosi, dicitur enim citato loco 1. Reg. 19. n. 20. quod licetores Saul, viderunt cuneum Prophetarum vaginantium, & Samuelem stantem super eos, id est, ut exponunt Lyranus, Abulens, Sanchez, id est presidentem eis, Samuel quidem instruit quoddam Collegium Prophetarum in Najoth Ramata, & forte in aliis locis, in quibus jam erat aliquale vestigium, & valde remorum hujus status; nam Samuel non vivebat in castitate religiosa, habebat enim filios: Factum est autem cum senesisset Samuel, posuit filios suos judices, & non ambulaverunt filii ejus, in viis ejus. 1. Reg. 18. num. 1. Deinde erat judex populi, illiusque gubernator, ac caput, ac proinde cum apparatu, & quamvis interiorius poterat habere paupertatem spiritus, tamen exterius saltem in populo rudi non multum erat documentum religiosæ paupertatis, unde perbellè dixit Bellarm. tom. 3. lib. 2. c. 9. §. Nos ergo, sic ait Dicimus itaque primum, virum religiosam adeo esse antiquam, ut quoddam ejus adumbratio fuerit in lege nature ante diluvium, majorque expressio in lege Moysis, perfectior autem Apostolorum tempore.

Lyranus. Abulens. Sanchez.

1. Reg. 18.

150.

Tertium argumentum. Filii Prophetarum non vivebant cum castitate, ergo in eis non dabatur verus status Religiosus Antecedens probatur. Dicitur 4. Reg. 4. num. 1. Mulier autem quædam de uxoribus Prophetarum clamar. Et Elisæus dixit Giezi, Sed & lepra Neaman adhaereat tibi, & semini tuo 4. Reg. 5. num. 27.

4. Reg. 4.

4. Reg. 5.

num. 27.

num. 27. Et confirmatur, ut ipsi adversarii dicunt irrefragabili auctoritate Ecclesie in oratione sancti Petri & Pauli 26. Junii dicitur. Da Ecclesia tua coram in omnibus sequi preceptum per quos Religionis sumpsit exordium.

151.

Et in primis nota, quod dicitur, Mulier de uxoris Prophetarum, non dicitur de uxoris filiorum Prophetarum, poterant esse alii Propheta distincti, & multi habuerunt uxores, sed quidquid sit de hoc Respondetur cum nostro Doctissimo Vvaldeni lib. 3. Doctrinalis fidei art. 1. cap. 1.

Vvalden.

Quod quamvis in omni Religione perfecta moderna (intellige in lege gratie) essentialiter tria vota requirantur, scilicet, Obedientie, paupertatis, ac castitatis, & ait: Non sic tamen antiquitus dum Religio infans erat, sed alii quadam, alii unum, alii universa servabant, magnis de causis. Qui tria vota servabant, in majori erant perfectione, ac in vero statu Religioso. Qui vero unum, vel duo observabant, secundum quid, & analogice tanquam Religiosi appellari poterant. Sic pergit citatus Vvaldenis, Religiosi dicebantur omnes, quia singulariter pro aliis Concivibus, vel toto mundo, vel alii equivalenti divino cultui se dederunt. Sicut & in Ecclesia primitiva, quidam observabant tria vota, & erant perfectissimi, alii habebant unum, vel alterum, Ananias, & uxor ejus Saphira habebant votum paupertatis, & ideo delinquentes contra votum abscondentes pecuniam puniuntur poena mortis. Actor, 5. n. 4. ut ibi ex communi omnium sententia notant Loribus, Cornelius, Menochius; & quod Ananias, & uxor ejus haberent votum castitatis, cum essent uxorati, nullum ad hoc est fundamentum tamen late, & analogice omnes poterant dici Religiosi, sicut & Tertiarum uxorati in suis domibus viventes, cum participent aliquam Religionis modum in Ceremoniis, orationibus ac aliis observationibus analogice, ac late possunt dici Religiosi, ut ex D. Thom. Henriq. tenent Suar. tom. 3. lib. 2. c. 2. num. 17. Lezana tom. 2. c. 14. n. 7. Lessius lib. 2. cap. 40. num. 11. Pellizar. tom. 1. tract. 1. cap. 3. n. 35.

Actor, Loribus, Cornel. Menoch.

D. Thom. Henriq. Suar. Lezana. Lessius. Pellizar.

152.

Ad confirmationem dicimus, quod Ecclesia loquitur de Exordio in Religione Christiana in fide Evangelica: sic ait Paulus 1. Corinth. 4. n. 15. In CHRISTO JESU per Evangelium ego vos genui.

QUESTIO XVIII.

Explicatur differentia interveniens inter monachatum legis antiquae, ac legis gratiae, & differentia inter utriusque vota.

SUMMARIUM.

- 153 Status Religiosus tendit ad perfectionem, & vota ejus substantia in tribus votis consistit.
154 Vvaldenis ponit differentiam, quia antiquitus vota animo interno; nunc autem per verba externa fiunt.

- 155 Duplex est votum, unum simplex, alterum solemne, solemne introductum est ab Apostolis, & n. 156.
157 Votum solemne habet multas excellentias super votum simplex.
158 Religio ab Apostolis multum superat antiquam.
159 Ad veram Religionem Constituendum sufficienti vota simplicia.

Religio, seu Religiosus status, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 186. art. 2. in corpore, ubi ait: status Religionis est quedam disciplina, vel exercitium, ad perfectionem perveniendi. Pervenitur autem ad hanc perfectionem per tria vota, obedientie, paupertatis, ac castitatis, & constat ex cap. Cum ad monasterium de statu monachorum. Et ex multis aliis Sanchez lib. 5. in opere morali cap. 5. n. 16. Layman, libro 4. tract. 5. cap. 1. num. 1. Cum ergo tota substantia status Religiosi consistat in votis, explicata differentia, qua datur inter vota in monachis antiquae legis ac monachis legis gratiae ac novae, satis explicata manet differentia utriusque monachatus.

Noster Doctissimus Vvaldenis tom. 1. Doctrinalis fidei lib. 3. art. 2. c. 17. ait, Religio Christiana perfecta, est specialis, & stricta regula charitatis, voti solemnis emissionem professio, vel equivalenter. Et postea subdit, Quid autem dicitur illud, quod equivaleat voto? Dico quod est divinus instinctus immobilitatis affectum tendentem in Deum. Et talis professor fuit Elias, talis etiam erat Joannes Baptista, qui quamvis non vivebant vocaliter aliquam regulam charitatis: habebant tamen Dei instinctum immobilitatis eorum affectus conversos in Deum. Et ille equivaleat voto; quia tota est in non mobilitate affectum ex se prout praeverit. In hoc ponit differentiam, quod antiquitus Elias, Eliseus, ac filii Prophetarum, & Joannes Baptista faciebant vota animo anteriori, ac resolutio, quo se Deo consecrabant; quod ad votum sufficere cum multis docet Castro Palau tom. 3. tract. 15. disp. 1. punct. 2. n. 4. Nunc autem vota fiunt verbaliter, ac per professionem externam.

1532

154

Castro Palau.

155.

D. Thom.

Henric. Hostiens. Lessius.

Sacrorum hominum cap. 86. 87. Henriquez. Quilibet, 5. quest. 31. Hostiens. Joannes Andreas. quod citant, ac sequuntur Lessius de iustitia lib. 2. c. 41. dub. 8. 5. Tertia est. Sanchez in opere morali tom. 2. lib. 5. cap. 1. n. 6.

Sanchez. 156.

Hanc sublimitatem voti solemnis super votum multis simplex exemplis declaro: verbi gratia si quis post matrimonium ratum ingrediatur Religionem, eaque votum solemne emittat, dissolvitur matrimonium, si vero quis post votum solemne inerat matrimonium, tale matrimonium etiam consummatum, est nullum, ut habetur expresse Clemens. Unica de consanguinitate; & definitum est in Tridentino sess. 24. Can. 9. At vero si quis post ratum matrimonium emittat votum simplex castitatis, non irritatur matrimonium, & si tali voto strictus, matrimonium celebravit, ac consummavit non invalidat matrimonium, sed firmum manet: Sanchez lib. 1. de Matrimonio. disp. 46. num. 9. M. Cornejo tom. 2. in 3. part. disp. 7. de Matrim. dub. 9. Qui habet votum solemne paupertatis, nec potest donationes facere nec contractus inire sine licentia sui Praelati. At qui habet votum simplex paupertatis, tam de his, qua habet, quam qua ei advenit, bene potest facere suas donationes, & contractus celebrare, ut patet ex his, quae docet Suar. tom. 3. de Relig. lib. 8. cap. 16. art. 18. Qui habet votum solemne obedientiae non potest profere testimonium juridicum, & validum extra Religionem sine licentia sui Praelati, nec sine illa potest agere in judicio, nec per se nec per suum procuratorem; per professionem habetur tanquam mortuus, ut tradunt Actores cap. cum delicta de rescriptis, & Authentica causa, qua fit cum monacho, ut cum multis Doctoribus tradit Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 12. n. 1. & cap. 13. n. 4. 1. At qui fecit votum simplex obediendi Archiepiscopo Ulyssiponensi, absque illa licentia, sua potest dare tale testimonium, & agere in judicio, nam per talem obediendum non redditur inhabilis ad illa, & solum illa obediencia est ad implenda omnia, quae ipse praeeperit, hoc autem non est prohibitum ab eo, ergo tale testimonium bene potest dari, ut patet ex his, quae docet Lezana in Summa Regular. c. 4. & sic in multis aliis exemplis.

Clem. unic. Trident.

Sanchez. Cornejo.

Suar.

Cap. Delicta & Authent.

Sanchez.

Lezana.

157.

Ex his clare patet, quanta excellentia supereminet status Religiosus institutus ab Apostolis, ab illo antiquo sub Elia, Torus status monachatus innuitur, ac stabilitur in votis ab eisque haurit totam suam nobilitatem, ac dignitatem; haec scilicet solemnitas cum maxime excedant illa antiqua simplicia, inde evidens fit, quanto intervallo Religio ab Apostolis instituta superat illam antiquam, quae solum ex votis simplicibus constabat.

158.

Nec ex hoc inferat aliquis quod ille status Religiosus sub Elia non fuerit vera Religio quia ad constituendam veram Religionem, utrumque Religiosum, sufficienti vota simplicia quod adeo est certum, ut dicat Sanchez in Opere Morali lib. 5. cap. 1. num. 25. Non licere ullatenus de hac re dubitare, & Suar. de Relig. tract. 10. lib. 3. cap. 4. num. 5. Hoc esse omnino infallibile, ut sine errore in fine de negari non possit. Nam Gregorius XIII.

Sanchez.

Suar.

Gerg. XIII.

in sua bulla Ascendente Domino declaravit coadjutores, ac Scholares Societatis Jesu: Binae probationis peractio tria predicta vota, etiam simplicia emiserunt, verum & propria Religiosos fuisse, & esse. Cum enim Summi Pontifices in his, quae pertinent ad doctrinam, contineant infallibilem certitudinem ex Christi institutione, ac promissione, & haec declaratio Gregorii XIII. contineat doctrinam pertinentem ad mores Ecclesiae, ac quietem, & pacem animarum, ergo dicendum est quod talis declaratio contineat infallibilem veritatem.

Insuper Monachatus in lege veteri destitutus erat potestate Clavium, qua nunc maxime resplendet, ac fulget ipse monachatus tali potestate communicata a Summo Pontifice, superioribus, ac Praelatis Religionum, qua praclarissime eorum status firmatur, ac corroboratur in sua perfectissima excellentia, ac gubernatione.

QUESTIO XIX.

Offenditur perseverantia votorum in Carmelitano Ordine ab Elia usque ad praesens tempus per varios status.

SUMMARIUM.

- 159 Ante Albertum Carmelita habebant votum obedientiae.
160 Albertus desumpsit regulam ex libro Joann. & num. 161.
162 Movitum cohibendi regulam.
163 Juxta D. Cyrillum Aymericus congregavit eos qui venerant ex Occidente cum his qui erant in Syria.
164 Qui obedientiam non voverant, erant illi, qui venerant ex Occidente.
165 Antiquitus unus conventus erat independentis ab aliis, & omnes non erant sub uno capite, ac generali.
166 Conventus Carmelitarum erant independentes. Aymericus collegavit omnes sub uno generali.
167 Ante Aymericum habuerunt Carmelita pro regula librum Joann.
168 Ante Joannem habuerunt pro regula vivendi modum constitutum sub Apostolis.
169 Ante predicationem Evangelicam vita Elia era pro regula.
170 Elias scripsit regulam juxta graves Auctores.
171 Elias multa scripsit.
172 Religio habuit quinque status, & n. 173.

Opponunt contra nos adversarii, quod nostra Carmelitana familia non habuisset votum obedientiae, nisi ab Alberto Patriarcha, quod ut jam dixi evidenter refutator Resolut. 2. ex Prologo ipsius Regulae. Dicitur enim ibi, Albertus Dei gratia vocatus Patriarcha Hierosolymitana Ecclesia dilectis nobis in Christo, filiis Brocardo, ac ceteris eremitis. (Nota verbum) qui sub eius obedientia, in Monte Carmelo morantur. Ergo jam ante Albertum erant sub obedientia sui Praelati.

1592